

ac fidei evidentius pertinent et quorum utilitates per se patent. Etiam ea^{tt)}, que minoris hic utilitatis immo quasi superflua penitus esse videntur, ut sunt ea, que de regnis et bellis ac ceteris huiusmodi enarrantur, attentius consideranti utilia^{gg)} satis^{gg)} esse probantur. Nam et *historie*¹⁰⁾ non solum gentilium, sed et^{hh)} *ecclesiastice* et etiam evangelice secundum *imperatorum et regum tempora* describuntur. *Lucas nempe, cum incarnationis Dominice historiam texeret, in ipso Evangelii sui principio de Herode rege et post pauca de Augusto Cesare mentionem fecit: ut illa, que minus nota erant hominibus, ab his, que pene apud omnes fama*ⁱⁱ⁾ *celebri*ⁱⁱ⁾ *ferebantur, confirmarentur et roborarentur. Ille quippe res geste — ut dicit Hugo Floriacensis —, que nulla regum ac temporum certitudine commendantur, non pro historia recipiuntur, sed inter aniles fabulas deputantur.* Valet igitur in hoc opere successionis temporum^{kk)}, et annorum^{ll)} regum et imperatorum, necnon^{mm)} Romanorum pontificum annotatioⁿⁿ⁾ brevis, nec^{oo)} solum ad presentis historie, verum etiam ad cuiuslibet alterius — nomen imperatoris vel pape vel regis, sub quo gesta sit, habentis — et^{pp)} confirmationem et elucidationem, ut scilicet, si dubitetur de tempore, hic^{qq)} ad catalogum regum illius terre, in qua res illa gesta refertur, recurri possit, ibique reperiatur, quo temporis articulo rex ille regnaverit, ac per hoc etiam^{rr)}, quo tempore res illa gesta sit. Verumtamen, quia de annorum numero multa est inter historias^{ss)} dissonantia, nulli reor^{tt)} precise^{uu.vv)} ac penitus^{vv)} adherendum, maximeque numero cronorum. Sed ad hoc tamen valet, ut sciatur non quo anno, sed quo tempore vel sub quo imperatore queque res annotata acciderit.

Ceterum ex bellis famosis usquequaque per orbem inter diversa regna commissis, antequam veniret^{ww)} rex noster pacificus, qui *locutus*^{xx.xi)} *pacem in plebem suam*, lector advertere poterit, quanto fervore pugnandum sit nobis contra spirituales hostes^{yy)} et^{yy)} pro salute nostra spirituali et eterna gloria nobis promissa, cum illi quidem^{zz)} utpote infideles huius salutis et glorie ignari^{a)} ac^{b)} penitus exsortes tam acriter

^{tt)} fehlt $D_2 D_3$ ^{gg-ss)} satis utilia D ^{hh)} etiam $H_3 H_4 H_5 D$
ⁱⁱ⁻ⁱⁱ⁾ celebri fama D_2 ^{kk)} fehlt D ^{ll)} folgt et H_2 ^{mm)} folgt
et D ⁿⁿ⁾ folgt solum D_1 ^{oo)} non $H_3 H_5 D$ ^{pp)} fehlt $H_1 D_2$
^{qq)} hi N_1 ^{rr)} fehlt D ^{ss)} folgt etiam H_1 ^{tt)} folgt actori D
^{uu)} prescisse H_3 ; precise H_5 ^{vv-vv)} penitus et precise $D_1 D_2$; penitus
et precise D_3 ^{ww)} veniet D_1 ^{xx)} folgt est N_3 ^{yy-yy)} fehlt
 N_2 ; nequitias R ^{zz)} fehlt D ^{a)} fehlt D ^{b)} fehlt D

¹⁰⁾ Hugo von Fleury, *Historia ecclesiastica*, Vorrede zum 3. Buch, ed. R. Köpke, MG SS 9, 355; darin auch die Anspielung auf Luc. 1—2.

¹¹⁾ Ps. 84, 9.